

Te per orbem terrarum \* sancta confitetur Ecclesia,  
Patrem \* immensae majestatis;  
Venerandum tuum verum \* et unicum Filium;  
Sanctum quoque \* Paracletum Spiritum.

Tu Rex gloriae, \* Christe.  
Tu Patris \* sempiternus es Filius.

Tu, ad liberandum suscepturus hominem, \* non horruisti Virginis uterum.

Tu, devicto mortis aculeo, \* aperuisti credentibus regna caelorum.

Tu ad dexteram Dei sedes, \* in gloria Patris.

Judex crederis \* esse venturus.  
Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, \* quos pretioso sanguine redemisti.

Aeterna fac cum Sanctis tuis \* in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domine, \* et benedic hereditati tuae.

Et rege eos, \* et extolle illos usque in aeternum.

Per singulos dies \* benedicimus te;

Et laudamus nomen tuum in saeculum, \* et in saeculum saeculi.  
Dignare, Domine, die isto \* sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine, \* miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos, \* quemadmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi: \* non confundar in aeternum.

## CANTICUM ZACHARIAE

Luc. 1, 68-79

Benedictus Dominus, Deus Israel, \* quia visitavit et redemit populum suum,

Et erexit cornu salutis nobis \* in domo David servi sui,

Sicut locutus est per os sanctorum, \* qui olim fuerunt, prophetarum suorum:

Ut liberaret nos ab inimicis nostris, \* et e manu omnium qui oderunt nos,

Ut faceret misericordiam cum patribus nostris \* et recordaretur foederis sui sancti:

Jurisjurandi, quod juravit Abraham, patri nostro, \* datum se nobis,

Ut sine timore, e manu inimicorum nostrorum liberati, \* serviamus illi

In sanctitate et justitia coram ipso \* omnibus diebus nostris. —

Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis: \* praebis enim ante faciem Domini ad parandas vias ejus,

Ad dandam populo ejus scientiam salutis \* in remissione peccatorum eorum

Per viscera misericordiae Dei nostri, \* qua visitabit nos Oriens ex alto,

Ut illuminet eos, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, \* ut dirigat pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, et Filio, \* et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, \* et in saecula saeculorum. Amen.

# BREVIARIUM ROMANUM

EX DECRETO

SS. CONCILII TRIDENTINI RESTITUTUM  
SUMMORUM PONTIFICUM CURA RECOGNITUM

EDITIO PRIMA JUXTA NOVAM TYPICAM



PARS VERNA

RATISBONÆ

SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET  
S. SEDIS APOSTOLICÆ ET S. RITUUM CONGREG. TYPOGRAPHI

Significatio libri non ligati:

Brev. 12<sup>o</sup> D

Printed in Germany



MICHAEL

DIVINA MISERATIONE ET SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA

ARCHIEPISCOPUS

EPISCOPUS RATISBONENSIS

SSMI D. N. PII XII PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS

COMES ROMANUS

OMNIBUS HAS LITTERAS VISURIS SALUTEM

ET BENEDICTIONEM A DOMINO

Cum cognoverimus dilectum Filium Nostrum Fridericum Pustet, Sanctæ Sedis Apostolicæ et Sacræ Rituum Congregationis typographum, ab eadem Sacra Congregatione facultatem obtinuisse Breviarium Romanum in forma, quam vocant 12<sup>o</sup>, edendi, cumque censor a Nobis legitime deputatus testimonio confirmaverit præsentem editionem e prædicta facultate paratam plane concordare cum editione nova Vaticana ejusdem Breviarii Romani, quam Sacra Rituum Congregatio die 21 Decembris 1948 uti typicam habendam esse decrevit, Nos ad normam can. 1390 Cod. jur. can. hanc editionem primam juxta novam typicam libentissime adprobamus evulgandique licentiam impertimur.

In quorum fidem has Nostras litteras manu Nostra signatas atque majori Nostro sigillo munitas expediri jussimus.

Ratisbonæ, die 15 Augusti 1952

L. † S.

+ Michael,  
ep̄ps Ratisbonen.

nem et mortem Dómini nostri Jesu Christi, précibus et méritis beatíssimæ semper Vírginis Mariæ, beatórum Apostolorum Petri et Pauli, beáti Patris nostri **N.** et ómnium Sanctórum, auctoritá-

te a Summis Pontíficibus mihi commissa, plenáriam indulgéntiam ómnium peccatórum vestrórum vobis impérior. In nómine Patris, et Filii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

IN BENEDICTIONE  
AUGUSTISSIMI SACRAMENTI

**T**antum ergo Sacraméntum  
Venerémur cernui;  
Et antiqum documéntum  
Novo cedat ritui;  
Præstet fides suppleméntum  
Sénsuum deféctui.

Genitóri, Genitóque  
Laus et jubilátio,  
Salus, honor, virtus quoque  
Sit et benedíctio:  
Procedénti ab utróque  
Compar sit laudátio. Amen.

**V.** Panem de cælo præstití-  
sti eis. (Allelúja.)

**R.** Omne delectaméntum in  
se habéntem. (Allelúja.)

Orémus. **Oratio**

**D**eus, qui nobis sub Sacra-  
ménto mirábili passi-  
onis tuæ memóriam reliquí-  
sti: tríbue, quæsumus, ita  
nos Córporis et Sánguini  
tui sacra mystéria venerári;  
ut redemptionis tuæ fructum  
in nobis júgiter sentiámus:  
Qui vivis et regnas in sæcu-  
la sæculórum.

**R.** Amen.

OFFICIA PROPRIA  
DICECISIS MONASTERIENSIS

PARS VERNA

Die 15 Martii  
S. CLEMENTIS  
MARLÆ HOFBAUER

Confessoris  
Duplex majus

Omnia de Psalterio et Com-  
muni Confessoris non Ponti-  
ficis, præter sequentia:

IN I VESPERIS

**V.** Amávit eum Dómi-  
nus, et ornávit eum. **R.**  
Stolam glóriæ induit eum.

**Ad Magnif. Ant.** Similá-  
bo eum \* viro sapiénti,  
qui ædificávit domum su-  
am supra petram.

**Oratio**

**D**eus, qui beátum  
Cleméntem Ma-  
riam miro fidei  
róbore et invictæ constán-  
tiæ virtute decorásti: ejus  
méritis et exémpis fac  
nos, quæsumus, ita fortes  
in fide et caritate fervén-  
tes; ut præmia consequá-  
mur æterna. Per Dómi-  
num nostrum.

**Et fit Commemoratio Fe-  
riæ.**

1 Propr. Diœc. Monast. P. Verna

AD MATUTINUM

In I Nocturno Lectiones  
Beátus vir, de Communi 1  
loco.

In II Nocturno

Lectio iv

**C**lemens Maria Hofbau-  
er Tassovítii in Morá-  
via natus, a prima ætate  
in schola christiánæ per-  
fectionis eruditus est; ma-  
gistra potíssimum religio-  
síssima matre, quæ pueru-  
lum post patris óbitum  
osténsa Christi Dómini e  
cruce pendéntis imágine  
sic allocúta fertur: En fili,  
qui hinc in pósterum tibi  
futurus est pater, cura, ut  
per eam, quæ ipsi placet,  
viam incédas. Adoléscent  
pistóriam artem didicit;  
sed ad majóra se vocári  
præséntiens cœpit inter  
laboriósæ artis exercítium  
ad stúdiu incúmbere lit-  
terárum. Bis Romam pe-  
des ad límina Apostoló-  
rum peregrinátus est, bis  
étiam rerum cæléstium



contemplationi liberiori vacaturus in eremum secessit. Verum Deo illum ad altiora vocante intermissa litterarum studia in Vindobonensi Universitate repetiit, naviterque prosecutus est; donec ex puriore fonte sacras disciplinas haustus, Romam tertium remigravit. Ibi in sancti Alfonsi familiam singulari Dei providentia cooperatus est, quam ipsius opera in dissitas regiones propagatum iri sanctus idem Parens divino instinctu praesensit ac palam praenuntiavit.

**R.** Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem aeternam. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. **Et.**

#### Lectio v

**A**bsoluto cum magno spiritali fervore tirocinio ac presbyter factus in septentrionales Europae provincias a Sede Apostolica missus est. Erecto Varsaviae in Polonia primo suae Congregationis domicilio,

et pluribus sibi adjunctis sociis, incredibile est, quam copioso ibi fructu sacerdotalia munera ultra vicennium explerit: nihil laboris recusans, sive ut catholicos ad bonos mores et pietatis cultum revocaret, sive ut haereticos et Judaeos ad veram fidem adduceret. Multa etiam ad religiosam juventutis institutionem praestitit. Orphanorum sortem miseratus exiit hospitium, ubi miserimos quosque paterna caritate alabat; visus subinde stipem eorum causa emendicare, immo nec faciem ab increpantibus et in se conspuentibus avertere. Inter has autem curas semper coram Deo ambulans, Deiparae Virgini, cujus Rosarium assidue recitabat, singulariter devotus, rectus, simplex, humilis, cunctis affabilis et benignus, omnibus velut sanctitatis exemplar jugiter praeluxit.

**R.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus loricae fidei, et ornavit eum. **Et.**

#### Lectio vi

**D**eo soli confisus, plures instituti sui domus variis in regionibus exiit. Ipse vero multas, ob temporum iniquitatem, acerbitates perpessus, et e Polonia tandem cum suis expulsus, secessit Vindobonam, ubi duodecim postremis vitae annis, ad Dei gloriam strenue operari perseveravit. Praeter sedulam enim sanctimonialium Virginum curam totus in eo fuit, ut praedicatione verbi Dei, sacramenti Poenitentiae administratione, quam plurimas a salute devias animas Christo lucrificeret. Quem caritatis ignem, tum sacerdotibus, tum maxime selectae juvenum cohorti, quorum complures suum Congregationi nomen dederunt, infundere adlaboravit. Illud autem indefessa sua opera consecutus est, ut languescentem populi fidem catholicumque spiritum non parum illa aetate imminutum, corroboraret; dignus propterea, quem Pius septimus virum apostolicum, Vindobonensis cleri decus, Ecclesiaeque columen appellaret. Meritis tandem plenus, et prod-

igiurum aliorumque caelestium charismatum munere illustris, prope septuagenarius obdormivit in Domino, Idibus Martiis, anno millesimo octingentesimo vigesimo. Eum Leo decimus tertius, miraculis clarum, Beatorum catalogo, Pius vero decimus novis fulgentem signis Sanctorum fastis accensuit.

**R.** Iste homo perfecit omnia quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: \* Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad caelestia regna. **Quia. Gloria Patri. Quia.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Nolite timere, de Communi 2 loco.

IX Lectio de Homilia Feriae.

AD LAUDES

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constitutam, intra in gaudium Domini tui.



## Oratio

**D**eus, qui beátum Cle-  
méntem Mariam miro  
fidei róbores et invictæ  
constántiæ virtúte decorá-  
sti: ejus méritis et exém-  
plis fac nos, quæsumus,  
ita fortes in fide et caritá-  
te fervéntes; ut præmia  
consequámur æterna. Per  
Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Fe-  
riæ.

## IN II VESPERIS

**V.** Justum dedúxit Dó-  
minus per vias rectas. **R.**  
Et osténdit illi regnum  
Dei.

**Ad Magnif. Ant.** Hic vir  
despiciens mundum \* et  
terræna, triúmphans, divítias  
cælo cóndidit ore,  
manu.

**Oratio** Deus, qui, ut su-  
pra.

Et fit Commemoratio Fe-  
riæ.

Die 26 Martii  
S. LUDGERI

Proto-Episcopi Monaste-  
riensis

Duplex I classis (Extra Qua-  
drag. cum Octava communi)

Omnia de Communi Con-  
fessoris Pontificis, præter ea  
quæ hic habentur propria.

## IN I VESPERIS

**Si præcesserit die 25 Mar-  
tii Festum Annuntiationis B.  
M. V., II Vesperæ dicuntur  
de eo cum Commemoratione  
S. Ludgeri, ut infra.**

**Si vero I Vesperæ dicen-  
dæ sint integræ de S. Lud-  
gero, Antiphonæ et Capitu-  
lum de Laudibus 9\*.**

## Hymnus

**P**ræsulem lætis beátum  
Concinámus méntibus,  
Qui Deum, Deique Natum  
Prædicávit géntibus;  
Rhenus, Albis et Visúrgis  
Quas rigant, et Amasis.

Copiósus atque claris  
Editus paréntibus,  
Cuncta Christi lætus aris  
Donat, ac egéntibus:  
Templa fundat, atque  
mundat  
Quinque Jesu fóntibus.

Hic avítæ sancta vitæ  
Verba nobis édedit:  
Et bonórum vera morum  
Norma nobis éxstitit.  
Quisque credat, nec re-  
cédât  
A fide, quam trádedit.

Sic ad astra sublevábit  
Nos patérna cláritas;  
Sic avérni liberábit  
Igne Christi caritas,  
Atque Sancti nos amábit  
Spíritus benignitas.  
Amen.

**V.** Elégit eum Dóminus  
sacerdótem sibi. (T. P.  
Allelúja.) **R.** Ad sacrifi-  
cándum ei hóstiam laudis.  
(T. P. Allelúja.)

**Ad Magnif. Ant.** Dedit  
Deus \* pastóres et doc-  
tóres ad consummationem  
Sanctórum in opus mini-  
stérii, in ædificatióne  
Córporis Christi. (T. P.  
Allelúja.)

## Oratio

**D**eus, qui hodiérnam  
diem sacratíssimam  
nobis in beáti Ludgéri,  
Confessoris tui atque Pon-  
tificis, solemnitate tribu-  
ísti: concéde propítius; ut,  
qui ejus gaudémus méritis,  
provocémur exémpis,  
et ejus intercessióne véni-  
am et vitam mereámur æ-  
ternam. Per Dóminum.

In Quadragesima fit Com-  
memoratio Feriæ.

## AD MATUTINUM

**Invit.** Christum Pastó-  
rum Príncipem, \* Veníte,  
adorémus. (T. P. Allelú-  
ja.)

**Ps. 94** Veníte, exsulté-  
mus.

## Hymnus

**A**stra, tellus, aër, unda  
Cœtibus psalléntium,  
Obvolúta noctis umbra,  
Dulce dant siléntium:

Ergo sursum corda cur-  
sum  
Dirigant canéntium.

Nocte lux septentriónis  
Præsul hic sanctíssimus  
Usque prædicatiónis  
Fractus a labóribus,  
Astra scandit, atque pan-  
dit  
Dux piis fidélibus.

Hunc amémus, hunc se-  
quámur  
Per salutis sémitam,  
Ut sequéntes provehámur  
Ad suprémam pátriam,  
Et perénnem consequámur  
Morte sancta glóriam.

Christe duro fixe ligno,  
Atque vere mórtue,  
Mortis hora tu maligno  
Nos ab hoste prótege:  
Mortuósque nos benigno  
Intuère lúmine. Amen.

In I Nocturno Lectiones Fi-  
delis sermo, de Communi 1  
loco.

## In II Nocturno

## Lectio iv

**L**udgérus in Frisia nóbili  
génere natus, adhuc  
adoléscens sancto Gregó-  
rio Ultrajecténsi Præsuli  
tráditus est, Dómino edu-  
cándus. Hoc magistro pri-  
ma doctrínæ et vitæ sanc-  
tióris fundaménta jecit;  
quæ post Eboráci in An-



glia sub Alcuino ad eum perfectionis apicem perduxit, ut mox ipse Doctor eximius discipulos in virtute scientiæque solide erudierit, et libros de gestis Sanctorum erudite conscripserit. Noctu psalmodiæ et orationi, interdium sacrarum litterarum lectioni, et meditationi assidue intentus, aptum sese reddidit apostolicis laboribus lucrandisque Deo gentilibus instrumentum. Quare a sancto Alberico Episcopo ad prædicandum Christi Evangelium in Frisiam missus, ecclesiam Daventriæ a sancto Leboino extructam, et a Saxonibus infidelibus exustam restituit. Suscepto Presbyterii gradu, ob persecutionem Wittikindi e Frisia Romanam perrexit; inde redux in monasterio Cassinensi sub Theotmáro Abbate aliquamdiu sancte conversatus, sancti Benedicti regulam didicit. Quinque pagos et insulam unam ab idolis ad veri Dei cultum traduxit. Insulam aliam Frisiæ, Daniæque confinem, crucem manu tenens, et preces ad Dominum cum laudibus fundens, dæmone

sub caligine tenebræ fugiente liberavit, ac fide Christi imbut.

**R.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. (T. P. Allelúja.) **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocébit ei. Manus.

## Lectio v

**M**ira semper in eo elucens prudentia et temperantia, mansuetudo et vultus hilaritas, omnibus carum amabilemque reddidit. Tanta fuit abstinéntia, ut illum cibo vel potu satiátum, discipulorum nemo umquam viderit: humilitate tanta, ut oblátum Episcopatum ægre tandem admiserit, ásserens, Episcopum oportere irreprehensibilem esse. Rígidas in se usque ad finem vitæ, clam cilicio carnem dormuit: benignus in alios, redditus omnes, servatis sibi tantum necessariis, in egenos distribuit; ánseres silvestres agris noxios proscrípsit. Páuperes æque ac divites mensæ adhibuit, nec minus documentis spiritalibus, quam epulis carnalibus refecit. Vere

pater páuperum, contemptor sui, omnibus omnia factus, ut omnes salvos faceret. Volente Cárolo rege, in pago Súdergæ, in loco Mimigérnefort dicto, monasterium construxit sub régula canónica Christo famulantium, quod postmodum urbi nomen dedisse fertur. Ibídem Ecclesiæ a se erectæ primus Episcopus præfuit. Werthínæ et Helmstádii Religiosorum cænobia condidit et fundavit: atque ita incredibili zelo infidelibus Saxoniæ occidentalis populis Evangelium annuntians, idololatriam extirpans, ecclesiás erigens, et presbyteros per loca singula ordinans, Religionem christíanam mirífice propagavit.

**R.** Pósui adjutórium super poténtem, et exaltavi eléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. (T. P. Allelúja.) **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

## Lectio vi

**D**énique ad Nordmános Christo subjugandos sese accíngens, in morbum incidit. Eorúndem ir-

ruptionem et novellæ Ecclesiæ persecutionem, pacemque deinde reditúram spiritu prophético prædixit, eventusque respondit. Morbo durante, nihil de solito fervóre ac indefesso labore, nihil de crebra verbi divini prædicatione, et quotidiana prope sacrificii incruenti oblatione remisit. Ipsa ea Domínica, última vitæ suæ die, mane Coesfeldiæ Missam canente Presbytero, a merídie Bilerbécæ, pro contione dixit, atque hic última Missæ solémnia devóte celebravit. Nocte subsequente, ut prædixerat, in discipulorum coróna, vir sanctus, méritis plenus, diléctam Deo ánimam piíssime reddidit, anno salutis octingentesimo nono, séptimo Kalendas Aprílis. Eádém noctis hora Gerfrído nepóti et successóri ejus, ac Fratribus ad ipsum visendum properantibus, in via conspéctum ingens lumen, ignis instar, in sublíme elátum, certum óbitus indicium præbuisse compertum est. Corpus íntegro post óbitum mense, Monasterii in ecclesiá sanctæ Mariæ inhumátum, et suávi odóre



fragrans, Werthinae, ut vivus jusserat, conditum est, ubi hodiendum requiescit illuminatis caecis, curatis surdis, sanatis paralyticis, ejectis daemonibus, aliisque exhibitis caelitus beneficiis clarissimum.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus replata est: \* Ipse intercédât pro peccatis omnium populorum. (T. P. Allelúja.) **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad caelestia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

### In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum

Lectio vii Cap. 5, 13-19

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

Homilia sancti Isidori  
Episcopi

Liber 2 Officior. ad S. Fulgentium, cap. 5

**Q**ui in erudiendis atque instituendis ad virtutem populis praerit, necesse est, ut in omnibus sanctus sit, et in nullo

reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse a peccatis debet esse alienus. Nam qua fronte subiectos arguere poterit, cum illi statim possit correctus ingere: Ante doce te, quae recta sunt. Primitus quippe semetipsum corrigere debet, qui alios ad bene vivendum admonere studet; ita ut in omnibus semetipsum formam vivendi praebeat, cunctosque ad bonum opus, et doctrina et opere provocet. ¶ Cui etiam scientia Scripturarum necessaria est. Quia si Episcopi tantum sancta sit vita, sibi soli prodest sic vivens. Porro si et doctrina et sermone fuerit eruditus, potest ceteros quoque instruere, et docere suos, et adversarios repercutere; qui nisi refutati fuerint atque convicti, facile possunt simplicium corda pervertere.

**R.** Exhibuit seipsum sicut Dei ministrum: \* In multa patientia, in castitate, in scientia, in caritate non ficta. (T. P. Allelúja.) **V.** Suscipiebat omnes predicans regnum Dei. In.

### Lectio viii

**H**ujus sermo debet esse purus, simplex, apertus, plenus gravitatis et honestatis, plenus suavitatis et gratiae, tractans de mysterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiae, de disciplina justitiae: unumquemque admonens diversa exhortatione, juxta professionem, morumque qualitatem; scilicet ut praenoscatur, quid, cui, quando, vel quomodo proferat. ¶ Cujus praeteris speciale officium est, Scripturas legere, percurrere Canones, exempla Sanctorum imitari, vigiliis, jejuniis, orationibus incumbere, cum fratribus pacem habere, nec quemquam de membris suis discerpere, nullum damnare, nisi comprobatum, nullum excommunicare, nisi discussum. Quique ita humilitate pariter et auctoritate praesesse debet, ut neque per nimiam humilitatem suorum subditorum vitia convalescere faciat, neque per immoderantiam severitatis potestatem exerceat, sed tanto cautius erga commissos sibi, quanto durius

a Christo indagari formidat.

**R.** Ostendit ex bona conversatione operationem suam, \* In mansuetudine sapientiae. (T. P. Allelúja.) **V.** Potens exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. In. Glória Patri. In.

In Quadragesima IX Lectio de Homilia Feriae; alias ex duabus Lectionibus fiunt tres ita, ut VIII Lectio incipiat cum verbis Cui etiam, et IX cum Cujus praeteris.

AD LAUDES

et per Horas

**Ant. 1** Qui intrat \* per ostium, pastor est ovium: huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt. (T. P. Allelúja.)

**2** Proprias oves \* vocat nominatim, et educit eas, et ante eas vadit. (T. P. Allelúja.)

**3** Oves illum sequuntur, \* quia sciunt vocem ejus: alium autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo. (T. P. Allelúja.)

**4** Fur venit, \* ut perdat: mercenarius videt lupum, et fugit: bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. (T. P. Allelúja.)



5 Spiritus Sanctus \* pò-  
suit Episcopos régere Ec-  
clésiám Dei, quam acqui-  
sivít sángine suo. (T. P.  
Allelúja.)

Capit. 1 Timoth. 1, 12

Grátias ago ei, qui me  
confortávit, Christo  
Jesu Dómino nostro, quia  
fidélem me existimávit, po-  
nens in ministério.

#### Hymnus

Lux seréna, lux decóra  
Solis almi spárgitur,  
Cum rigéntis orbis ora  
Igne Christi tángitur;  
Nox facéssit, Styx pavé-  
scit,

Sancta Crux extóllitur.

Hoc Sacérdos ille mag-  
nus

Hisce terris præstitit,  
Fortis heros, mitis agnus  
Corda Christo súbdidit,  
Et lupórum barbarórum  
Pastor ora cóntudit.

Dum cruéntis Cæsar ar-  
mis

Vincit hanc provinciám,  
Incruéntis sanctus aris  
Præsul offert Hóstiam:  
Sic parávit atque pavit  
Primus hanc Ecclésiám.

Hic avitæ sancta vitæ  
Verba nobis édedit,  
Et bonórum vera morum  
Norma nobis éxstitit:

Quisque credat, nec recé-  
dat

A fide, quam trádidit.

Sic ad astra sublevábit  
Nos patérna cláritas,  
Sic avérni liberábit  
Igne Christi cáritas,  
Atque Sancti nos amábit  
Spíritus benignitas. Amen.

V. Tu es sacérdos in æ-  
térnum. (T. P. Allelú-  
ja.) R. Secúndum órđinem  
Melchisedech. (T. P. Al-  
lelúja.)

Ad Bened. Ant. Qui fé-  
cerit et docúerit, \* hic mag-  
nus vocábitur in regno cæ-  
lórum. (T. P. Allelúja.)

#### Oratio

Deus, qui hodiérnam  
diem sacratíssimam  
nobis in beáti Ludgéri,  
Confessóris tui atque Pon-  
tificis, solemnitate tribu-  
ísti: concéde propítius; ut,  
qui ejus gaudémus méritis,  
provocémur exémplis,  
et ejus intercessióne vé-  
niam et vitam mereámur  
ætérnam. Per Dóminum.

In Quadragesima fit Com-  
memoratio Feriæ.

#### AD PRIMAM

Ant. Qui intrat \* per  
óstium, pastor est óvium:  
huic ostiárius áperit, et  
oves vocem ejus áudiunt.  
(T. P. Allelúja.)

#### AD TERTIAM

Ant. Próprias oves \* vo-  
cat nominátim, et edúcit  
eas, et ante eas vadit. (T.  
P. Allelúja.)

Capit. Grátias ago, ut  
supra 10\*.

R. br. Amávit eum Dó-  
minus, \* Et ornávit eum.  
Amávit. V. Stolum gló-  
riæ índuit eum. Et. Glória  
Patri. Amávit.

V. Elégit eum Dóminus  
sacerdótem sibi. R. Ad  
sacrificándum ei hóstiam  
laudis.

#### Tempore Paschali

R. br. Amávit eum Dó-  
minus, et ornávit eum, \*  
Allelúja, allelúja. Amávit.  
V. Stolum glóriæ índuit  
eum. Allelúja, allelúja.  
Glória Patri. Amávit.

V. Elégit eum Dóminus  
sacerdótem sibi, allelúja.  
R. Ad sacrificándum ei hó-  
stiam laudis, allelúja.

#### AD SEXTAM

Ant. Oves illum sequún-  
tur, \* quia sciunt vocem  
ejus: álium autem non se-  
quúntur, sed fúgiunt ab eo.  
(T. P. Allelúja.)

Capit. Hebr. 13, 7

Mementóte præpositó-  
rum vestrórum, qui  
vobis locúti sunt verbum

Dei: quorum intuéntes éxi-  
tum conversatiónis, imita-  
mini fidem.

R. br. Elégit eum Dómi-  
nus \* Sacerdótem sibi.  
Elégit. V. Ad sacrificán-  
dum ei hóstiam laudis. Sa-  
cerdótem. Glória Patri.  
Elégit.

V. Tu es sacérdos in æ-  
térnum. R. Secúndum ór-  
dinem Melchisedech.

#### Tempore Paschali

R. br. Elégit eum Dómi-  
nus sacerdótem sibi, \* Al-  
lelúja, allelúja. Elégit. V.  
Ad sacrificándum ei hósti-  
am laudis. Allelúja, alle-  
lúja. Glória Patri. Elégit.

V. Tu es sacérdos in æ-  
térnum, allelúja. R. Se-  
cúndum órđinem Melchí-  
sedech, allelúja.

#### AD NONAM

Capit. 1 Petri 5, 2-4

Páscite, qui in vobis est,  
gregem Dei, providén-  
tes non coácte, sed spontá-  
nee secúndum Deum: ne-  
que turpis lucri grátia, sed  
voluntárie; neque ut domi-  
nántes in cleris, sed forma  
facti gregis ex ánimo. Et  
cum apparúerit Princeps  
pastórum, percipiétis im-  
marcescibilem glóriæ coró-  
nam.



**R. br.** Tu es sacerdos \*  
In ætérnum. **Tu. V.** Secúndum ór-  
dinem Melchisedech. **In. Glória Patri.**  
**Tu.**

**V.** Justum dedúxit Dó-  
minus per vias rectas. **R.**  
Et osténdit illi regnum  
Dei.

#### Tempore Paschali

**R. br.** Tu es sacerdos in  
ætérnum, \* Allelúja, alle-  
lúja. **Tu. V.** Secúndum ór-  
dinem Melchisedech. **Alle-**  
lúja, allelúja. **Glória Patri.**  
**Tu.**

**V.** Justum dedúxit Dó-  
minus per vias rectas, alle-  
lúja. **R.** Et osténdit illi  
regnum Dei, allelúja.

#### Oratio

**D**eus, qui hodiérnam  
diem sacratissimam  
nobis in beáti Ludgéri,  
Confessóris tui atque Pon-  
tíficis, solemnitate tribu-  
isti: concéde propítius; ut,  
qui ejus gaudémus méritis,  
provocémur exémp-  
lis, et ejus intercessióne vé-  
niam et vitam mereámur  
ætérnam. Per Dóminum  
nostrum Jesum Christum,  
Fílium tuum: Qui tecum  
vivit et regnát.

#### IN II VESPERIS

Antiphonæ et Capitulum de  
Laudibus 9\*.

#### Hymnus

**S**ancta vesper festa clau-  
dit  
Gloriósí Præsídís,  
Cujus omnis terra plaudit  
Inclýtis præcóniis:  
Aula cæli cum fidéli  
Plebe certat cánticis.

Jam labóres terminávit,  
Atque clara prælia,  
Regna Christo subjugávit  
Dura per certámina,  
Et supréma comparávit  
Morte sacra præmia.

Patris hujus æmulémur,  
Fílii, charísmata,  
Hoc Patróno gloriémur  
In fide veríssima,  
Quam docébit et tenébit  
Semper hæc Ecclésia.

Hoc piæ divinitátis  
Præstet alma Trínitas,  
Sempiternæ Trinitátis  
Vera præstet Unitas;  
Nos choris jungat beátis  
Spes, fides et caritas.

Amen.

**V.** Elégit eum Dóminus  
sacerdótem sibi. **(T. P.**  
Allelúja.) **R.** Ad sacrifi-  
cándum ei hóstiám laudis.  
**(T. P. Allelúja.)**

**Ad Magnif. Ant.** Qui  
docti fuerint, \* fulgébunt  
quasi splendor firmaménti:  
et qui ad justítiam erú-  
diunt multos, quasi stellæ,  
in perpétuas æternitátes.  
**(T. P. Allelúja.)**

Et fit Commemoratio se-  
quentis:

**Ant.** O Doctor óptime,  
Ecclésiæ sanctæ lumen,  
beáte Joánnes, divínæ le-  
gis amátor, deprecáre pro  
nobis Fílium Dei. **(T. P.**  
Allelúja.)

**V.** Amávit eum Dómi-  
nus, et ornávit eum. **(T. P.**  
Allelúja.) **R.** Stólam gló-  
riæ índuit eum. **(T. P. Al-**  
lelúja.)

#### Oratio

**O**mnípotens sempitérne  
Deus, qui ad cultum  
sacrárum imáginum asse-  
réndum, beátum Joánnem  
cælesti doctrína et admi-  
rábili spíritus fortitúdine  
imbuísti: concéde nobis  
ejus intercessióne et ex-  
émplo; ut, quorum cólimus  
imáginés, virtútes imité-  
mur et patrocínia sentiá-  
mus. **(Per Dóminum.)**

Deinde, in Quadragesima,  
fit Commemoratio Feriæ.

#### Die 2 Aprilis

**(Extra Quadragesimam)**  
**IN OCTAVA**  
**S. LUDGERI**

**Proto-Episcopi Monaste-**  
**riensis**

**Duplex majus**

**In II Nocturno**

**Sermo sancti Gregórii**  
**Papæ**

**Part. 2 Pastoralis, cap. 1**

**Lectio iv**

**T**antum debet actiónem  
pópuli áctio transcén-  
dere præsulís, quantum di-  
stáre solet a grege vita pa-  
stóris. Opórtet namque, ut  
metíri se solícite stúdeat,  
quanta tenéndæ rectitúdi-  
nis necessitáte constríngi-  
tur, sub cujus æstimatió-  
ne pópulus grex vocá-  
tur. Sit ergo, necesse est, cogi-  
tatióne mundus, acti-  
one præcipuus, discretus in si-  
léntio, útilis in verbo, sín-  
gulis compassióne próxi-  
mus, præ cunctis contem-  
platióne suspénsus, bene  
agéntibus per humilitátem  
sócius, contra delinquén-  
tium vítia per zelum justí-  
tiæ eréctus, internórum  
curam in exteriórum oc-  
cupatióne non mínuens,  
exteriórum providéntiam  
in internórum sollicitúdine  
non relínquens.



**R.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

## Lectio v

Ibid., cap. 9 et 10

**C**onsiderándum quoque est, quia cum curam pópuli eléctus præsul súscipit, quasi ad ægrum médicus accédit. Si ergo adhuc in ejus córpore passiones vivunt, qua præsumpcióne percússum medéri próperat, qui in fácie vulnus portat? Ille modis omnibus debet ad exéplum bene vivéndi pértrahi, qui cunctis carnis passiónibus móriens, jam spiritaliter vivit, qui próspéra mundi postpónit, qui nulla advérsa pertiméscit, qui sola intérna desiderat: cujus intentióni bene cóngruens, nec omníno per imbecillitátem corpus, nec valde per contumáciam repúgnat spíritus: qui ad aliéna cupiéndá non dúcitur, sed própria largítur.

**R.** Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: \*

Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

## Lectio vi Ibid. cap. 8

**U**nde ipsum quoque episcopátus officium boni óperis expressióne definitur, cum dicitur: Si quis episcopátum desiderat, bonum opus desiderat. Ipse ergo sibi testis est, quia episcopátum non appetit, qui non per hunc boni óperis ministérium, sed honoris glóriam quærit. Sacrum quippe officium non solum non díligit omníno, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans, in ocúltá meditációne cogitátionis, ceterórum subjectione páscitur, laude própria lætátur, ad honórem cor élevat, rerum affluéntium abundántia exsúltat. Mundi ergo lucrum quæritur sub ejus honóris spécie, quo mundi déstrui lucra debúerant.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: \* Ipse intercédát pro peccátis omnium populórum, allelúja. **V.** Iste est, qui con-

témpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

## In III Nocturno

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum

## Lectio vii Cap. 5, 13-19

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quò saliétur? Et réliqua.

De Homilia sancti Joánnis Chrysóstomi

## Homilia 15 in Matth.

**L**uceat lux vestra: hoc est, plúrima in vobis sit virtus, ac máxime ingens illius accendátur ignis et ineffábile omníno lumen effúlgeat. Quando autem tam magna virtus fuerit et clara, latére non póterit, étiam si mille illam contégere velit modis ille, qui possidet. Bene autem ait, Lumen: nihil est, quod sic hóminem fáciat insígnem atque conspícuum, etiámsi magno ámbitu optet latére, ut splendor iste virtútis. Sicut enim ipso sole circúmdatus, ita úti-que clarus effúlget, nec in terram solúmmodo rutilátus próprie virtútis emít-

tit, sed supra ipsum étiam cælum próprio fulgóre radiábit.

**R.** Exhibuit seípsum sicut Dei ministrum: \* In multa paciéntia, in castitáte, in sciéntia, in caritate non ficta, allelúja. **V.** Suscipiébat omnes prædicans regnum Dei. In.

## Lectio viii

**H**inc itaque illos ubérius consolátur. Etsi, inquit, maledicta in vos audiéntes dolétis, habétis tamen plúrimos, quos ad amórem atque admiratió- nem Dei vestro adducátis exémplo. Tunc enim multi erunt omníno mirántes, non úti-que vos tantum, sed per vos étiam Patrem vestrum. Nec dixit, Deum, sed Patrem; conferéndæ illis nobilitátis prærogatívam hoc jam nómine largiéndó. Consídera, quantum istíusmodi sit cómodum, quantum étiam discrímen. Si enim vítiis sordeámus, etiámsi nobis nullus obréctet, érimus omnibus miseriores. Si vero virtútibus splendére curémus, vel si totus mundus contra nos maledictis volúerit personáre, érimus omnium beatíssimi, atque ad



nos trahemus omnes, qui venire elegerint ad salutem. Omni quidem tuba documenta sunt operum clariora, vitaeque munda, ipsa est luce fulgentior.

**R.** Ostendit ex bona conversatione operationem suam, \* In mansuetudine sapientiae, alleluja. **V.** Potens exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. **In.** Gloria Patri. **In.**

**Pro S. Francisco de Paula:**  
**Lectio ix**

**F**ranciscus Paulae in Calabria natus est. Adolescens, divino ardore succensus, in eremum secessit, ubi annis sex victu asperam sed meditationibus caelestibus suavem vitam duxit. Cum autem virtutum ejus fama longe manaret, multique ad eum pietatis studio concurrerent, caritatis causa e solitudine egressus, ecclesiam prope Paulam aedificavit, ibique prima sui ordinis fundamenta jecit. Perpetuam virginitatem servavit; humilitatem sic coluit, ut se omnium minimum diceret, suosque alumnos Minimos appellari voluerit. Rudi amictu,

nudis pedibus incedens, humi cubabat. Caritati ita addictus fuit, ut sui ordinis tesseram esse jusserit. Multis miraculis servi sui sanctitatem Deus comprobavit, quorum illud in primis celebre, quod a nautis rejectus, Siciliae fretum, strato super fluctibus pallio, cum socio transmisit. Multa etiam prophético spiritu praedixit. Turonis migravit ad Dominum, anno salutis millesimo quingentesimo septimo, aetatis anno nonagesimo primo.

**Te Deum laudamus.**

**In Laudibus et II Vesperis fit Commemoratio S. Francisci de Paula.**

Die 21 Aprilis

S. CONRADI  
A PARZHAM

Confessoris

Duplex

**Omnia de Psalterio et Communi Confessoris non Pontificis, praeter sequentia:**

IN I VESPERIS

**V.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum, alleluja. **R.** Stulam gloriae induit eum, alleluja.

**Ad Magnif. Ant.** Similabo eum \* viro sapienti,

qui aedificavit domum suam supra petram, alleluja.

**Oratio**

**D**eus, qui misericordiae tuae januam fidelibus patere voluisti: te supplices exoramus; ut, intercedente beato Conrado Confessore tuo, temporalia subsidia nobis tribuas et aeterna. Per Dominum.

**Et fit Commemoratio S. Anselmi Ep., Conf. et Doct.:**

**Ant.** O Doctor optime, Ecclesiae sanctae lumen, beate Anselme, divinae legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei, alleluja.

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, alleluja. **R.** Et ostendit illi regnum Dei, alleluja.

**Oratio**

**D**eus, qui populo tuo aeternae salutis beatum Anselmum ministrum tribuisti: praesta, quaesumus; ut, quem Doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in caelis. Per Dominum nostrum.

**In I Nocturno, si dicenda sint de Communi, Lectiones Beatus vir, de Communi Conf. non Pontificis 1 loco.**

**In II Nocturno**

**Lectio iv**

**C**onradus, in rurali praedio ad oppidum Parzham in diocesi Passaviensi, piis honestisque parentibus natus, inde a puero modestia et solitudinis amore, quanta futurus esset sanctitate, praemonstravit. Mirus jam tum in eo elucebat devotionis fervor, maxime cum in ecclesia oraret; quam longe sitam, neque itinere neque frigore deterritus, frequentare solebat. Summo erga beatam Virginem amore inflammatus, quotidie ejus Rosarium assidue iterabat, diebusque festis persaepe ad remotiora ipsius Deiparae sanctuaria pergabat: ex quibus pedestribus peregrinationibus, jugiter orando susceptis, domum remeabat sub vesperum fere semper jejunos. Integra juventute in agrorum cultura transacta, ut arctius Deo adhereret, mundo valedicere statuit; quapropter peramplo patrimonio abdicato, annum agens primum supra trigessimum inter fratres lai-



cos ordinis Minorum Capuccinorum adnumerari obtinuit.

**R.** Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a ductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem aeternam, alleluja. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. **Et.**

#### Lectio v

**S**tatim ab emissa professione, ad sanctae Annae conventum civitatis Vercellinae missus fuit; locus autem celebris est et frequentissimus inter cetera Germanicae ditionis Mariana sanctuaria, adeo ut plura fidelium centena milia illuc singulis annis conveniant. Ob tantum ad eandem civitatem concurrere, perdifficile in cenobio evadit janitoris officium; quod Conradus, cui hujusmodi munus statim ab ejus adventu fuerat demandatum, ad obitum usque retinuit, et tamquam exempli apostolatum explevit. Impiger in labore, parcus in loquendo, erga pauperes largus, in peregrinis excipiendis juven-

disque promptus, per annos quadraginta et amplius ostiarii onus aequanimiter gessit, maximo incolarum et peregrinorum emolumento, in omnibus animae tum corporis necessitatibus.

**R.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluja. **V.** Induit eum Dominus loricae fidei, et ornavit eum. **Et.**

#### Lectio vi

**V**irtutibus omnibus praecellens, silentium summo opere adamavit. Per diem subsequens temporis momenta insumebat in quodam tuguriolo, januae propinquo, e quo sanctissimam Eucharistiam invisere et adorare poterat; de nocte vero horas subripiebat somno, quas in fratrum conditorio vel in ecclesia orationi dabat. Etsi consensisset, quieti numquam se tradidit, sed in laboribus piisque exercitiis ad extremum usque perrexit. Revera quadam die cum pluribus peregrinantium turmis satisfaceret, agnovit corporis viri-

bus prorsus destitui; ac triduo post, undecimo Kalendas Maji, obdormivit in Domino, anno millesimo octingentesimo nonagesimo quarto, aetatis suae septuagesimo quinto. Hunc Dei famulum, heroicis virtutibus, et miraculis clarum, Pius Papa undecimus anno millesimo nonagesimo trigésimo inter Beatos rettulit; novisque miraculis fulgentem, quadriennio post, idem Summus Pontifex Sanctorum fastis solemniter adscripsit.

**R.** Iste homo perfecit omnia quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam: \* Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus, alleluja. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad caelestia regna. **Quia.** Gloria Patri. **Quia.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Sint lumbi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco.

Pro S. Anselmo:

#### Lectio ix

**A**nselmus, Augustae Praetoriae in finibus Italiae, nobilibus et catholicis pa-

rentibus natus, adolescens, patria et bonis omnibus derelictis, in monasterio Beccensi ordinis sancti Benedicti emissa regulari professione, in litteris et virtutibus assequendis mirum in modum profecit. Regibus, episcopis venerationi fuit, et sancto Gregorio septimo etiam acceptus, qui tunc, persecutionibus agitatus, litteras amoris plenas ad eum dedit, se et Ecclesiam ejus orationibus commendans. Defuncto Lanfranco archiepiscopo Cantuariensi, ejus olim praepotore, ad ejusdem ecclesiae regimen vocatus, verbo et exemplo, scriptis et conciliis celebratis, pristinam pietatem et ecclesiasticam disciplinam reduxit. Sed cum mox Willelmus rex vi et minis jura Ecclesiae usurpare tentasset, ipseque invicte restitisset, bonorum direptionem et exilium passus, Romam ad Urbanum secundum se contulit. A quo honorifice exceptus et summis laudibus ornatus, in Barensi concilio Spiritum Sanctum etiam a Filio procedentem, contra Graecorum errorem, innumeris



Scripturárum et sanctórum Patrum testimóniis propugnávit. Post mortem Willélmi, ab Henrico rege ejus fratre in Angliam revocátus, obdormívit in Dómino. **Te Deum.**

## AD LAUDES

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. **R.** Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, infra in gáudium Dómini tui, allelúja.

## Oratio

**D**eus, qui misericórdiæ tuæ jánuam fidélibus patére voluísti: te súpplices exorámus; ut, intercedente beáto Conrado Confessore tuo, temporália subsídía nobis tríbuas et ætérna. Per Dóminum.

**Et fit Com. S. Anselmi:**

**Ant.** Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. **R.** Stolam glóriæ induit eum, allelúja.

## Oratio

**D**eus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Anselmum místrum tribuísti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum nostrum.

## IN II VESPERIS

**V.** Justum, **ut supra.**

**Ad Magnif. Ant.** Hic vir despiciens mundum \* et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu, allelúja.

**Et fit Commemoratio sequentis:**

**Ant.** Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, allelúja.

**V.** Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja. **R.** Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

## Oratio

**G**regem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátos Sotérem et Cajum Mártires tuos atque Summos Pontífices perpétua protectióne custódi, quos totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastóres. (Per Dóminum nostrum.)

**Deinde Commemoratio S. Anselmi:**

**Ant.** O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Anselme, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei, allelúja.

**V.** Amávit **et Oratio** Deus, qui pópulo, **ut supra ad Laudes** 20\*.

Die 27 Aprilis  
S. PETRI CANISII  
Conf. et Eccl. Doct.

Duplex II classis

**Omnia de Communi Confessoris non Pont. præter ea, quæ hac die in Breviario habentur propria, et in I Vesperis non fit Commemoratio præcedentis.**

**Lectiones I Nocturni Sapientiam, de Communi Doctorum.**

**In II Vesperis fit Commemoratio sequentis tantum, ut in Breviario.**

Sabbato  
ante Dominicam VI  
post Pascha

B. MARLÆ VIRG.  
CONSOLATRICIS  
AFFLICTORUM

Duplex majus

**Omnia de Communi Festorum B. Mariæ Virg., præter sequentia:**

## IN I VESPERIS

**V.** Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta, allelúja. **R.** Da mihi virtútem contra hostes tuos, allelúja.

**Ad Magnif. Ant.** Sancta Maria, \* succúrre miseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérvieni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam festivitátem, allelúja.

## Oratio

**O** Pater misericórdiæ et totíus consolatiónis Deus, qui Unigéniti tui ex carne Matrem Mariam nostram quoque ex caritate matrem esse voluísti: concéde propítius; ut, cujus protectióne munimur, ejus et consolatióne lætémur. Per eúndem Dóminum.

**Et fit Commemoratio Octavæ Ascensionis:**

**Ant.** O rex glóriæ, Dómine virtútum, qui triumphátor hódie super omnes cælos ascendísti, ne derelínquas nos órphanos; sed mitte promíssum Patris in nos, Spíritum veritátis, allelúja.



**V.** Ascendit Deus in jubilatione, allelúja. **R.** Et Dóminus in voce tubæ, allelúja.

### Oratio

**C**oncède, quæsumus, omnipotens Deus: ut, qui hodierna die Unigénitum tuum, Redemptórem nostrum, ad cælos ascendisse credimus; ipsi quoque mente in cælestibus habitemus. Per eúndem Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM

### In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Joánnem

### Lectio vii Cap. 19, 25-27

**I**n illo témpore: Stabant iuxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus Mariá Cléophæ, et Mariá Magdaléne. Et reliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi

### Tractatus 119 in Joannem

**H**æc nimirum est illa hora, de qua Jesus, aquam conversurus in vinum, dixerat Matri: Quid mihi et tibi est, mûlier? Nondum venit hora mea. Hanc itaque horam prædixerat, quæ tunc nondum

venerat, in qua debet agnoscere moritúrus, de qua fuerat mortáliter natus. Tunc ergo divína factúrus, non divinitátis, sed infirmitátis matrem velut incógnitam repellébat; nunc autem humana jam pátiens, ex qua fuerat factus homo, afféctu commendábat humano. Morális igitur insinuáitur locus. Facit quod faciéndum ádmonet, et exémplo suo suos ministros instrúxit præceptor bonus, ut a filiis piis impendátur cura paréntibus: tamquam lignum illud, ubi fixa erant membra moriéntis, étiam cáthedra fuerit magístri docéntis.

**R.** Felix namque es, sacra Virgo Mariá, et omni laude digníssima: \* Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster, allelúja. **V.** Ora pro pópulo, intèrveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámén, quicúmque cèlebrant tuam sanctam festivitátem. Quia.

### Lectio viii

**E**x hac sana doctrína didicerat Paulus Apóstolus quod docébat, quando dicébat: Si quis autem suis

et máxime domésticis non próvidet, fidem negávit, et est infidéli detérior. Quid autem tam cuique domésticum quam paréntes filiis, aut paréntibus fili? Hujus itaque salubérrimi præcepti ipse Magister Sanctórum de seípso constituébat exémpulum; quando non ut fámulæ Deus, quam creáverat et regébat, sed ut matri homo, de qua creátus fuerat et quam relinquebat, álterum pro se quodámmodo filium próvidebat.

**R.** Beátam me dicent omnes generatiónes: \* Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus, allelúja. **V.** Et misericórdia ejus a progénie in progénies tíméntibus eum. Quia. Glória Patri. Quia.

### Lectio ix

**N**am cur hoc fécerit, quod séquitur indicat: ait enim Evangelista: Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua, de seípso dicens. Sic quippe commemoráre se solet, quod eum diligébat Jesus: qui útique omnes, sed ipsum præ céteris et familiárius

diligébat, ita ut in convívio super pectus suum discumbere fáceret; credo ut istius Evangelii, quod per eum fuerat prædicatúrus, divínam excelléntiam hoc modo áltius commendáret.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. **R.** Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

**Ad Bened. Ant.** Beáta es, Mariá, \* quæ credidisti: perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúja.

### Oratio

**O** Pater misericórdiæ et totius consolatiónis Deus, qui Unigéniti tui ex carne Matrem Mariam nostram quoque ex caritate matrem esse voluisti: concède propítius; ut, cuius protectiône munimur, ejus et consolatióne lætémur. Per eúndem Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Octavæ Ascensionis:

**Ant.** Ascéndo ad Patrem meum, et Patrem vestrum: Deum meum, et Deum vestrum, allelúja.



**V.** Dóminus in cælo, allelúja. **R.** Parávit sedem suam, allelúja.

### Oratio

**C**oncède, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui hodiérna die Unigénitum tuum, Redemptórem nostrum, ad cælos ascendisse crédimus; ipsi quoque mente in cælestibus habitémus. Per eúndem Dóminum nostrum.

*Vesperæ Dominicæ sequentis, Commemoratio præcedentis:*

**Ant.** Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancillam húmitem respéxit Deus, allelúja.

**V.** Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta, allelúja. **R.** Da mihi virtútem contra hostes tuos, allelúja.

### Oratio

**O** Pater misericórdiæ et totíus consolatiónis Deus, qui Unigéniti tui ex carne Matrem Mariam nostram quoque ex caritate matrem esse voluisti: concède propítius; ut, cujus protectiône munimur, ejus et consolatióne lætémur. (Per eúndem Dóminum nostrum.)

*Deinde Commemoratio Octavæ Ascensionis:*

**Ant.** O Rex glóriæ, Dómine virtútum, qui triumphátor hódie super omnes cælos ascendisti, ne derelinquas nos órphanos; sed mitte promissum Patris in nos, Spíritum veritátis, allelúja.

**V.** Ascéndit Deus in jubiliatióne, allelúja. **R.** Et Dóminus in voce tubæ, allelúja.

**Oratio** Concède, ut supra.

Die 16 Maji  
S. JOANNIS  
NEPOMUCENI

### Martyris

#### Duplex

*Omnia de Psalterio et Comuni unius Martyris Temp. Pasch., præter sequentia:*

*Vesperæ dicuntur a Capitulo de S. Joanne Nepomuceno.*

**V.** Sancti et justí, in Dómino gaudéte, allelúja. **R.** Vos elégit Deus in hereditatem sibi, allelúja.

**Ad Magnif. Ant.** Lux perpétua \* lucébit Sanctis tuis, Dómine, et æternitas témporum, allelúja.

### Oratio

**D**eus, qui ob invíctum beáti Joánnis sacraméntale siléntium, nova Ecclésiám tuam martyrii coróna decorásti: da nobis ejus intercessiône et exémplo, linguam caute custodíre; ac ómnia pótius mala, quam ánimæ detrimentum, in hoc sæculo toleráre. Per Dóminum.

*Et fit Com. præcedentis:*

**Ant.** Hic vir despiciens mundum et terréna, triumphans, divítias cælo cóndidit ore, manu, allelúja.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. **R.** Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

### Oratio

**D**eus, qui, ad christiánam páuperum eruditiónem et ad juvéntam in via veritátis firmándam, sanctum Joánnem Baptistam Confessórem excitásti, et novam per eum in Ecclésia familiam collegísti: concède propítius; ut, ejus intercessiône et exémplo, stúdio glóriæ tuæ in animárum salute fervéntes, ejus in cælis corónæ participes fieri valeámus. (Per Dóminum nostrum.)

*Deinde fit Commemoratio S. Ubaldi Ep. et Conf. (semiduplex):*

**Ant.** Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. **R.** Stolum glóriæ induit eum, allelúja.

### Oratio

**A**uxílium tuum nobis, Dómine, quæsumus, placátus impénde: et, intercessiône beáti Ubaldi Confessóris tui atque Pontíficis, contra omnes diaboli nequítias dexteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

In II Nocturno

Lectio iv

**J**oánnes Nepomúci Bohémiae óppido, unde Nepomuceni cognómen duxit, a paréntibus ætáte provéctis, non sine futuræ sanctitátis præságio, flammis supra nascéntis domum mirabiliter collucéntibus, ortus est. Cum in-



fans in gravem morbum incidisset, beátæ Virginis ope, cui natum parentes referébant accéptum, e vitæ periculo evásit incólumis. Egrégia índole, piáque institutióne cælestibus indiciis obsequente, inter sanctas religiosásque exercitatiónes puerítiam egit; nam ecclésiám frequenter adire, ac sacerdotibus ad aras operántibus ministráre in deliciis habébat. Zatécii politiórius litteris ad humanitatem informatus, Pragæ vero gravióribus disciplinis excúltus, philosophiæ, theológiæ sacrorúmque cánonum magistérium et láuream eméruit. Sacerdotio initiátus, atque a sciéntia sanctorum ad lucra animárum rite comparátus, ministério verbi Dei se pénitus addíxit. Cum ígitur in vítiis exstirpándis, et revocándis in viam salutis errántibus, eloquéntia et pietáte úberes éderet fructus, inter canónicos metropolitána ecclésiæ Pragénsis cooptátus, mox sibi demandátam Evangélii coram rege Wencesláo quarto prædicándi provinciám suscepit, eo

succéssu, ut Joánnis suá su multa rex fáceret, magnóque in honóre ejus virtútes habéret. Conspicuas tamen, quas ille obtulit dignitátes, Dei servus, ne a divíni verbi præcónio avocarétur, constantíssime recusávit.

**R.** Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, \* Et æternitas téporum, allelúja, allelúja. **V.** Lætitia sempitérna erit super cápita eórum: gáudium et exsultatiónem obtinébunt. **Et.**

#### Lectio v

**R**égiis illum elemósynis in páuperes erogándis præfécum, Joánna regína consciéntiæ sibi moderatórem ascívit. Cum autem Wencesláus ab officio institutóque decessisset, atque in vítia præceps abriperétur, piæ autem conjugi obstatiónes et mónta graváte ferret, conténdere ausus est, ut in sacramentáli judicio sacerdoti crédita regínæ arcána sibi a Joánne panderéntur. At Dei míster blandítiis primum, torméntis deínde et cárceris squalóre tentátus, nefáriæ regis cupiditati fórtiter óbstitit. Furéntem

#### Lectio vi

tamen Wenceslái ánimum, cum ab exsecrándo propósito nec humana nec divína jura deterrérent, suprénum agónem, quem instáre sibi athléta Christi nóverat, pópulo in contióne de impendéntibus étiam regni calamitátibus admónito, non obscúre prænuntiávit. Mox Bolesláviam profécus, ad beátæ Virginis imáginem antiquo cultu célebrem, cæléste præsidium ad certándum bonum certámen effúsis precibus implorávit. Inde véspere reverténtem in pervigilio Domínicæ Ascensionis rex e fenéstia conspicátus arcéssit; cumque vehementius urgéret, et próximam in aquis, si oblectári pérgeret, submersionem intentáret, Joánes invicta constántia terróres minásque refutávit. Itaque regis império in Moldávam flumen Pragam intérfuens noctu dejéctus, illústrem martýrii corónam est consecútus.

**R.** In servis suis, allelúja, \* Consolábitur Deus, allelúja. **V.** Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. **C**onsolábitur.

**S**acrilegum fácinus clam patrátum et Mártiris glóriam insigne prodígium divinitus patefécit. Ubi enim exánime corpus secúndo flúmine vehi cœpit, ardéntes faces aquis supernatántes et discurrentes apparuérunt. Quam ob rem ex aréna postrídie mane corpus elátum, canónici deínde, regis iram nihil tíméntes, in metropolitánam ecclésiám solémni pompa intulérunt, et sepultúræ mandárunt. Cum autem in dies invicti sacerdotis memória miraculis, et máxima fidélium, eórum præcipue, qui fama periclitántur, veneratióne crésceret, post annos demum ámplius trecéntos, in jurídica recognitione córporis, quod sub humo tándiu jacúerat, lingua ejus incorrúpta et vívida repérta est: quæ sexto post anno judicibus a sede apostólica delegátis exhibita, novo prodígio repente intúmuit, et subobscúrum rubórem in purpureum commutávit. His itaque aliisque signis rite probátis, Benedictus décimus tértius Póntifex Máximus die décima nona mensis



Mártii, anno salutis milésimo septingentésimo vigésimo nono, primum hunc sacramentalis sigilli assertorem, arcáni fidem sanguine obsignántem, sanctorum Mátyrum catálogo adscripsit.

**R.** Filiae Jerúsalem, venite et videte Mátyres cum coronis, quibus coronavit eos Dóminus \* In die solemnitatís et lætitiæ, allelúja. **V.** Quóniam confortávit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. **In. Glória Patri. In.**

### In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum

### Lectio vii Cap. 10, 26-32

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nihil est opertum, quod non revelabitur; et occultum, quod non sciatur. Et reliqua.

Homilia sancti Hilarii  
Episcopi

Comment. in Matth., can. 10,  
post medium

**D**óminus diem iudicii ostendit, quæ abstrusam voluntatis nostræ conscientiam prode; et ea quæ

nunc occulta existimantur, luce cognitionis publicæ deteget. Igitur non minas, non consilia, non potestates insectantium monet esse metuendas; quia dies iudicii nulla hæc fuisse, atque inania revelabit. Et quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, predicite super tecta. Non legimus Dóminum solitum fuisse noctibus sermocinari, et doctrinam in tenebris tradidisse: sed quia omnis sermo ejus carnalibus tenebræ sunt, et verbum ejus infidelibus nox est.

**R.** Ego sum vitis vera, et vos palmites: \* Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúja, allelúja. **V.** Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. **Qui.**

### Lectio viii

**I**taque id quod a se dictum est, cum libertate fidei et confessionis vult esse loquendum. Idcirco, quæ in tenebris dicta sunt, predicari jussit in lumine; ut, quæ secreto aurium commissa sunt, super tecta, id est, excelso loquentium præconio audiantur.

Constanter enim Dei ingerenda cognitio est, et profundum doctrinæ evangelicæ secretum in lumine prædicationis apostolicæ revelandum, non timentes eos, quibus, cum sit licentia in corpora, tamen in animam jus nullum est; sed timentes potius Deum, cui perdenda in gehenna et animæ et corporis sit potestas.

**R.** Candidi facti sunt Nazaræi ejus, allelúja; splendorem Deo dederunt, allelúja: \* Et sicut lac coagulati sunt, allelúja, allelúja. **V.** Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. **Et. Glória Patri. Et.**

Feria II Rogationum et in  
Vigilia Ascensionis IX Lectio  
de Homilia Feriæ, alias

Pro S. Ubaldo:

### Lectio ix

**U**baldus, Eugubii in Umbria nobili genere natus, a primis annis pietate et litteris egregie institutus; jamque adolescens, ut uxorem duceret, sæpe tentatus, numquam tamen a proposito servandæ virginitatis recessit. Sacerdos

effectus, patrimonium suum pauperibus et ecclesiis distribuit. Canonicorum regularium ordinis sancti Augustini institutum suscipiens, illud in patriam transtulit. Ab Honório secundo Summo Pontifice ecclesiæ Eugubinæ invitatus præficitur, et episcopalis consecrationis munere decoratur. Factus forma gregis ex animo, de consueta vivendi ratione nihil admodum immutavit, et in omni virtutum genere enituit. Diutius infirmitatibus afflictus, Deo indesinenter gratias agebat. Cum multis annis ecclesiam sibi commissam summa cum laude gubernasset, sanctis operibus et miraculis clarus, quievit in pace.

Te Deum laudamus.

Si autem IX Lectio alicujus  
Officii commemorati non sit  
dicenda, erit sequens

### Lectio ix

**N**olite timere eos, qui occidunt corpus. Nullus igitur corporum nostrorum casus est pertimescendus, neque ullus interimendæ carnis admittendus est dolor; quando pro naturæ suæ atque originis conditione resoluta, in substan-



tiam spirituális animæ refundatur. Et quia doctrinis talibus confirmatos oportet liberam confitendi Dei habere constantiam, etiam condicionem, qua teneremur, adjécit, negaturum se eum Patri in cælis, qui se hominibus in terra negasset; eum porro, qui confessus coram hominibus se fuisset, a se in cælis confitendum; qualisque nos nominis sui testes hominibus fuissimus, talinos apud Deum Patrem testimonio ejus usuros.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES

**V.** Pretiosa in conspectu Domini, allelúja. **R.** Mors Sanctorum ejus, allelúja.

**Ad Bened. Ant.** Filie Jerúsalem, \* venite et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus in die solemnitatis et lætitiæ, allelúja, allelúja.

Oratio

**D**eus, qui ob invictum beati Joannis sacramentale silentium, nova Ecclesiam tuam martyrii corona decorasti: da nobis ejus intercessione et exemplo, linguam caute cu-

stodire; ac omnia potius mala, quam animæ detrimentum, in hoc sæculo tollerare. Per Dominum.

**Et fit Commemoratio S. Ubaldi:**

**Ant.** Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus, allelúja.

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, allelúja. **R.** Et ostendit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio

**A**uxilium tuum nobis, Domine, quaesumus, placatus impende: et, intercessione beati Ubaldi Confessoris tui atque Pontificis, contra omnes diaboli nequitas dexteram supernos tuæ propitiacionis extendende. (Per Dominum.)

**Deinde, Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis, fit Commemoratio Feriæ.**

**Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commemoratio præcedentis:**

**Ant.** Sancti et justi, in Domino gaudete, allelúja: vos elegit Deus in hereditatem sibi, allelúja.

**V.** Pretiosa in conspectu Domini, allelúja. **R.** Mors Sanctorum ejus, allelúja.

**Oratio** Deus, qui, ut supra 30\*.

**Deinde fit Commemoratio S. Ubaldi:**

**Ant.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, et ad portas paradisi coronavit eum, allelúja.

**V.** Justum et Oratio Auxilium, ut supra 30\*.

Die 5 Junii

S. BONIFATII

Episcopi et Martyris

Duplex II classis

Omnia de Communi Martyrum Temp. Pasch., præter ea, quæ hac die in Breviario habentur propria.

In I Nocturno Lectiones A Miléto, de Communi unius Martyris extra Tempus Paschale cum Responsoris de Communi Martyrum Tempore Paschali.

In II Vesperis fit Commemoratio sequentis.

INDEX ALPHABETICUS

	pag.
Bonifatii Ep. et Mart., duplex II classis. 5 Junii	31*
Clementis Mariæ Hofbauer Conf., duplex majus.	
15 Martii	1*
Conradi a Parzham Conf., duplex. 21 Aprilis	16*
Joannis Nepomuceni Mart., duplex. 16 Maji	24*
Ludgeri Proto-Episcopi Monasteriensis, dupl. I clas. (Extra Quadrag. cum Octava communi). 26 Martii	4*
— — Octava, duplex majus. 2 Aprilis	13*
Mariæ Virg., Consolatricis Afflictorum, duplex majus. Sabbato ante Dominicam VI post Pascha	21*
Petri Canisii Conf. et Eccl. Doct., duplex II classis. 27 Aprilis	21*



### APPROBATIO

Concordat cum originalibus approbatis.

Monasterii, die 31 Martii 1950

† MICHAEL

Episcopus Monasteriensis

### IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 20 Aprilis 1950

Joseph Franz

Vic. Gen.

Ratisbonæ, sumptibus et typis Friderici Pustet

## INDICES

### I INDEX PSALMORUM NUMERICUS

Psalmus	pag.	Psalmus	pag.
1	Beatus vir, qui non	27	Ad te, Dñe, clamo . . . 104
2	Quare tumultuantur	28	Tribuite Domino . . . 87
3	Domine, quam multi	29	Prædicabo te, Dñe . . . 83
4	Cum invocavero . . .	30, i	Ad te, Domine . . . 106
5	Verba mea auribus . . .	30, ii	Miserere mei, Dñe . . . 106
6	Domine . . . Miserere	30, iii	Quam magna est . . . 107
7, i	Domine Deus meus		
7, ii	Clipeus mihi . . .	31	Beatus cuius . . . 109
8	Domine, Dñe noster	32, i	Exsultate, justi . . . 109
9, i	Celebrabo te . . . toto	32, ii	De cælis respicit . . . 110
9, ii	Psallite Domino . . .	33, i	Benedicam Domino . . . 210
9, iii	Quare, Domine . . .	33, ii	Venite, filii . . . 211
9, iv	Exsurge, Dñe Deus	34, i	Certa, Domine . . . 123
10	Ad Dñm confugio . . .	34, ii	Surrexerunt testes . . . 124
		34, iii	Gratias agam tibi . . . 124
11	Salva, Domine! . . .	35	Loquitur iniquitas . . . 224
12	Quousque, Domine?	36, i	Noli excandescere . . . 125
13	Dicit insipiens . . .	36, ii	Melius est modicum . . . 126
14	Domine, quis . . .	36, iii	Os justi eloquitur . . . 127
15	Conserva me, Deus	37, i	Domine, noli me . . . 127
16	Audi, Dñe, justam . . .	37, ii	Ego autem . . . 128
17, i	Diligo te, Domine . . .	38	Dixi: custodiam . . . 128
17, ii	Extendit manum . . .	39, i	Speravi, speravi . . . 149
17, iii	Quisnam est deus . . .	39, ii	Annuntiavi . . . 149
18, i	Cæli enarrant . . .	39, iii	Placeat tibi, Dñe . . . 150
18, ii	Lex Domini . . .	40	Beatus qui cogitat . . . 152
19	Exaudiat te Dñs . . .		
20	Domine, de potentia	41, i	Quemadmodum . . . 152
		41, ii	In me ipso . . . 153
21, i	Deus meus . . .	42	Jus redde mihi . . . 131
21, ii	Circumstant me . . .	43, i	Deus, auribus . . . 155
21, iii	Enarrabo nomen . . .	43, ii	Nunc vero . . . 155
22	Dominus pascit me . . .	43, iii	Hæc omnia . . . 155
23	Domini est terra . . .	44, i	Effundit cor meum . . . 168
24, i	Ad te attollo . . .	44, ii	Audi, filia . . . 169
24, ii	Bonus et rectus est . . .	45	Deus est nobis . . . 169
24, iii	Oculi mei semper . . .	46	Omnes populi . . . 86
25	Jus redde . . . Dñe	47	Magnus Dominus . . . 170
26, i	Dominus lux mea . . .	48, i	Audite hæc . . . 170
26, ii	Audi, Domine . . .	48, ii	Hæc via eorum . . . 171

Pars Verna